



1789. 9
A. H. P.
A7
284
ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

MARTINVS GOTTLIEB PAVLI D.

CODICIS PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIAL.

CONSIST. ECCLESIAST. SCABINAT. ET

FACVLT. IVRID. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*Injidiae vitae stultitiae an iusta sint
divortii causa?*



ORDINIS IURIDICI

IN

ACADEMIA VITENBERGENSI

H. T. DECANVS

MARTINVS GOTTLIEB PAVL D.

CODICIS, PROF. PUBL. ORD. CIVILIS PROVICIAE

CONSIST. ECCLIAST. SCABINUS ET

FACULT. IURIS, ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. E. D.

Handwritten text, likely a signature or date, possibly: Martinus Gottlieb Paul d. 1788



Q. D. B. V.

INSIDIAE VITAE STRUCTAE AN IVSTA SINT DIVORTII CAUSA?



De insidiis vitae structis vtrum iusta sint diuortii causa, nec ne? in foris adhuc hodie quaeritur haud raro, et est ista quaestio non minus nobilis, quam ardua, ideo potissimum, quia celebrata contrariis doctissimorum virorum, tam Theologorum, quam Iurisconsultorum studiis, celebrata praeterea contrariis et repugnantibus dicasteriorum et ius dicentium sententiis. Cum itaque his ipsis diebus, quibus de conscribendo programme, quo, iussu et auctoritate Ordinis Iurisconsultorum, summi in Iure honores, quibus prope diem exornandus est Candidatus, ob doctrinae praestan-



tiam, si quis alius, vel maxime dignus, indicandi sunt, cogitabam, eiusmodi repugnantes sententiae in manus meas inciderent, non alienum ab hoc loco esse putavi, si de eadem hac tam celebri quaestione, quid sentiam? exponerem paullo diligentius. Apud veteres Romanos, ab his enim faciamus initium, diuortia olim, saltim ab *Sp. Caruilii* temporibus, erant frequentissima, et fiebant partim bona gratia ex utriusque coniugis consensu, partim ex unius etiam voluntate, invito altero coniugum, ob causam quamcunque, itaque ob infidias quoque vitae structas. *Lex Iulia, de adulteriis* fortassis, certis quibusdam adstrinxit diuortia solemnitatibus, ipsam autem diuertendi licentiam maritis et vxoribus non ademit, eam vero coarctarunt recentiori aetate *Theodosius* imprimis et *Valentinianus* Impp. praescriptis certis quibusdam et legitimis, ex quibus solis coniugibus in posterum diuortium facere permittebatur, causis, quae *l. 8. §. 2. et 3. C. de Repud.* enumerantur omnes, nec opus est, dici, praeter adulterium, infidias vitae structas earum esse fortassis praecipuam. *Iustiniani* Imp. de diuortiis sententia *ex l. 10. item ex l. 11. §. 2. C. de Repud.* potest cognosci, sed summa simul huius legislatoris in re tam ardua inconstantia ex istis legibus *innot. Nou. XXII. Cap. 15. §. 3. et Cap. 16. Nou. CXVII. Cap. 13. Nou. CXXXIV. Cap. 11. et Nou. CXL.* non sine indignatione intelligitur. His autem



autem Iuris Ciuilis decretis et sanctionibus non opus est, vt diutius hoc loco inhaereamus, quae enim in Iure Romano tam antiquiori, quam recentiori Iustiniano de diuortii scripta sunt et sancita, ea omnia ex foris et rebus publicis Christianis penitus amouit subsequens aetas, reuerentia inprimis praeceptorum *Saluatoris nostri* apud *Matthaeum Cap. V. com. 31 et 32. et Cap. XIX. com. 3-9. et Paulli, Apostoli ad Corinthios I. Cap. VII. com. 10-15.* Ex his autem Noui Testamenti locis scimus, matrimonium, rite legitimeque contractum, quamuis ceteroquin coniugale vinculum sit indissolubile, ob vnus tamen aut alterius coniugis perpetratum adulterium, aut etiam ob malitiosam desertionem iterum posse dissolui et recte dissolui, non tantum quoad mutuam coniugum cohabitationem, vti volunt *Concilio Tridentini patres Sessioe XXIV. Can. 7.* sed quoad vinculum quoque coniugale ipsum. Enim vero, vtrum his dictis Noui Testamenti locis, praeter istas duas diuortiorum causas legitimas, diuortia tantum non omnia, tanquam illicita, Christianis sint interdicta, an vero ob alias quoque causas aequae graues, inprimis autem ob insidias vitae fructas, ab magistratu in rebus publicis Christianis matrimonii vinculum bona conscientia dissolui, coniugibusque solutis, aut vtrique simul, aut parti innocenti tantum contrahendi matrimonii noui potestas dari possit, nec ne? de ea re et olim



inter se acriter pugnarunt, et adhuc hodie pugnant Theologi aequae, ac Iurisperiti eruditissimi. Ioannes quidem Gerhardus, Theologus quondam sine controuersia summus, *Locor. Theologic. Tom. VII. Edit. Francofurt. an. 1657. Cap. de Coniugio §. 611. sqq. et §. 623 sqq.* adulterium et malitiosam desertionem solas esse et vnicas diuortiorum causas iustas atque legitimas, contendit, his autem praemissis §. 636 sqq. vbi de reliquis diuortii causis, quas alii assignant, loquitur, cum ex verbis Christi, pergit, et Apostoli Pauli demonstratum sit, duas esse duntaxat diuortii causas, adulterium, scilicet, et malitiosam desertionem, ex eo facile intelligitur, quid de reliquis causis, quas alii assignant, sit statuendum? Si enim remoueantur illae causae, propter quas instituitur separatio eorum, inter quos nunquam fuit verum et consummatum matrimonium — — — — — ac si arcte et sicce teneatur illud, quod uerum diuortium non solum separationem quoad torum et mensam, sed etiam quoad vinculum coniugale complectatur, — — — — — cuiuslibet primo intuitu manifestum erit, reliquas, quae praeter adulterium et malitiosam desertionem statuuntur, non esse iustas, legitimas ac sufficientes diuortii causas. Tandem de insidiis quoque vitae struetis, siue, uti ait, de vitae periculo loquitur §. 683. et, quamuis huius causae grauitatem perspiciat ipse, nihilo fecius tamen perseuerat et permanet in sua veteri sententia, et per ambages potius eiusmodi infelici coniugi consulere

lere



lere vult, quam profiteri, insidias vitae fructas iustam esse et legitimam diuortii causam. Primo enim *innocentem coniugem ad magistratum ablegat, sin vero is auxilium ipsi deneget, nec ullum aliud amplius suppetat remedium, vitae suae consulendi causa ei in locum tutiorem ad tempus se recipere permittit, ita tamen, ut aperte testetur, discessionis initium a se minime esse factum, sed aduersae partis importunitate intolerabili sese eiecum, et ad reconciliationem atque reditum esse promptissimum, modo pars aduersa vitae velit parcere et legibus coniugalibus sese obsequentem praebere. Quod si vero pars aduersa in pertinacia pergat et diserte testetur, se nolle ullo vnquam tempore coniugem recipere, nec reconciliationem admittere, nec a pristinis moribus desistere, dubium esse nequit, quin pro malitioso desertore sit habendus, ac proinde innocenti parti aliter consuli possit. Per tot tamque varias circuitiones se ipsum *Gerhardus, maxime vero innocentem eiusmodi fatigat et infelicem coniugem. Ioanni Gerharo ex ordine Theologorum vnicum adiungo, tanquam socium, Abrahamum Calouium, nostratem. Hic autem vir vere magnus itidem non, nisi duas admittit iustas atque legitimas diuortii causas, adulterium, scilicet, et malitiosam defertionem, reliquas vero omnes, quaecunque demum illae sint, tanquam doctrinae Christianae principiis contrarias, improbat prorsus et damnat. Ut enim taceam, quae dixit Bibl. Nou. Testam. illustrat. Tom. I. ad Matthaeum Cap. V. com. 37. ad**



ad eundem *Matthaeum Cap. XIX. com. 9. in grauioribus*, inquit, *insidiis et vitae periculis separatio quidem conceditur quoad torum et mensam*, ob ea declinanda, donec reconciliatio fiat et per sufficientem cautionem de securitate prospiciatur coniungi, non autem concedenda est *matrimonii dissolutio*. Non autem Theologi tantum, verum etiam ex Iurisperitorum ordine, qui praecipuae sunt auctoritatis, eadem omnia cum *Gerhardo* atque *Calouio* sentiunt, atque non, nisi adulterium et malitiosam desertionem tanquam iustas diuortii causas admittunt, ex aliis autem causis, quaecumque demum illae sint, inprimis quoque ob insidias vitae structas, diuortium fieri posse negant et pernegant. Primus, quem, huius rei confirmandae causa, in medium produco, *Benedictus Carpzouius* esto. Haud equidem nego, virum istum summum in vastis suis operibus quaestionem eam, de qua hoc loco nobis inprimis sermo est, data opera non pertractasse, tetigit tamen eam, quasi aliud agendo, duobus, quantum quidem scio, locis, scilicet *Iurisprud. Confist. Libr. II. def. CCIV. no. 1. et def. CCXVII. no. 2.* atque dictis locis ob insidias vitae structas separationem quoad torum et mensam quidem, nequaquam vero diuortium ipsum locum habere contendit. Eandem hanc praefracte tuetur atque defendit sententiam, ut alios, inprimis *Godofredi Ludouici Menckenii Dissert.* quae inscribitur: *Sana de iure principis euangelici circa diuortia do-*

Arina



Arina, transeam, *Ioannes Bathaf. Wernherus Selectar. Obseruat. Forensf. Part. IV. Obseruat. VI.* qua id agit vnice, vt infidias, vitae coniugis structas, non esse iustam diuortii causam, euincat atque demonstret.

Quae cum ita sint, cumque haec praestantissimorum tam Theologorum, quam Iurisconsultorum de infidiis, vitae structis, non iusta diuortii causa, altissimis defixa sit radicibus sententia, quae difficulter et aegre labefactari queat, facili negotio intelligi potest, eam, tanquam receptam sententiam, in foris plerisque et dicasteriis adhuc hodie regnare. Quia vero in scholis, Iurisconsultorum praesertim, nihil facile sine exemplo recte docetur, exemplum addam. Paucis nimirum abhinc annis *Anna Christina Riedorffin*, marito, *Martino Riedorff*, parabat venenum et propinabat, cuius proteruitatis poenas, fortassis adhuc hodie, dat in ergastulo Torgauensi. Peracta vero causa criminali, maritus adibat Consistorium Ecclesiasticum Vitebergense, atque, vt matrimonium, paucos ante annos cum hac *Anna Christina* in initum, ob infidias vitae structas, quoad ipsum coniugale vinculum rursus dissolueretur, instanter rogabat. Citatur vxor, audiuntur partes litigantes, tandem mense Martio anni superioris 1781. fertur sententia, quae huius erat tenoris: *Diueil dieses, daß ein Ehegatte dem andern nach dem Leben getrachtet, für keine zur völligen Tren-*



Trennung der Ehe zureichende Ursache zu achten, Wernher Observat. forens. Part. IV. Obf. 6. so hat Klägers auf gänzliche Scheidung der mit Beklagter geschlossenen Ehe gerichtetes Suchen nicht statt. Perfecte et plane secundum mentem et intentionem Wernheri, Carpozui, Calouii, Gerhardi, quin imo, secundum iura quoque, ab maioribus accepta, et in foris, Saxonice Electoralibus pariter, ac extraneis, ad haec vsque tempora frequentata. Ceterum tamen, quando miseram et afflictam Martini Riedorffii fortunam mecum cogito, nequeo mihi temperare, quin eandem hanc sententiam admodum esse duram, publice profitear, idque eo magis, quo magis scio, niti istam sententiam non tam lege quadam Saxonica, hunc in finem scripta, in omni enim Codice Augusteo de ea re lex expressa exstat nulla, niti eam potius receptis tam Theologorum, quam Ictorum sententiis et opinionibus, quas quidem, qui id agunt, ex Scriptura Sacra probare volunt, eumque in finem ad ista antea citata Noui Testamenti loca prouocant, quibus tamen alii viri summi, et tales, qui vtiq; in Iure tam diuino, quam humano consules, et fortassis soli consules dici merentur, vim aliquam probandi inesse, negant. Non vrgeo, quod tamen acriter vrget Ioannes Daniel Michaelis Part. II. des Mosaischen Rechts §. §. 119. 120. in diiudicanda, de qua hoc loco disputatur, quaestione diligenter ab se inuicem distinguenda esse iura,



iura, quibus in vita ciuili utimur, et praecepta moralia, *Domini* vero nullas promulgasse leges ciuiles, sed praecepta tantum tradidisse moralia. Taceo quoque, quod itidem vehementer vrget *Michaelis loc. cit.* apud veteres Israelitas, eorumque posteros, Iudaeos, diuortia tantum non omnia, neutiquam publica, sed priuata tantum auctoritate fuisse facta, dato vxori libello diuortii, et de hac diuortii specie vnice intelligenda esse ea, quae apud *Matthaeum* a *Domino* ad Pharisaeorum de diuortiorum iustitia et iniustitia propositas quaestiones respondentur et disputantur. At nostris temporibus diuortia, quae priuata fiunt auctoritate, ignoramus prorsus, et nulla alia iusta sunt atque legitima, quam quae fiunt auctoritate publica, Consistoriorum scilicet Ecclesiasticorum. Non autem omnia, quae propria et priuata auctoritate, absque peccato, fieri nequeunt, legislatoribus quoque humanis et, qui eorum nomine ius dicunt, illicita sunt et interdicta. Tandem illud quoque hoc loco transeo, *Dominum dixisse istis apud Matthaeum locis* in vniuersum omnia, nisi quae propter perpetratum adulterium fiunt, prorsus reprobasse diuortia, at *Paulum Apostolum ad Corinthios I. Cap. VII. com. 10. — 15.* expressis verbis personam, iniuste desertam, liberam esse, id est, non cogendam esse, vt vagabundum desertorem sequatur, pronunciare, nihilo secius tamen ad vnum omnes tam



Theologos, quam Iuriconsultos ex hoc *Pauli* loco comprobare atque contendere, desertionem malitiosam, praeter adulterium, iustam esse atque legitimam diuortii causam. Ex quo conficitur, *Domini* de diuortio et de iusta diuortii causa apud *Matthaeum* sermonem nullam continere legem neque ab Apostolo pro lege accipi, quam transgredi sit nefas. His autem argumentis omnibus, quibus fortassis tamen vim probandi omnem nemo facile denegabit, interclusus quippe tam angustia loci, quam temporis penuria, diutius non insisto. Hoc igitur vnicum addo, non solius procreandae sobolis, sed et mutui auxilii causa coniugium ab ipso Deo esse institutum. Quid autem, quaeso, contractui tam arctae societatis, qualis est coniugium, quid, inquam, magis ei est aduersum, quam quod in vitam committitur? Verissima sunt et cedro linenda verba *Philippi Melanchtonis* in *Exam. Tit. de diuortii propter saeuitiam, veneficia et insidias structas vitae. Si quis talis est maritus, qui saeuitiam in coniugem exercet, — — — — et uxorem ita crudeliter tractat, ut vita in periculo sit, hic certe magistratus politici imperio coercendus est, qui non solum vitam personae innocentis tueri debet, sed etiam debet eius conscientiae consulere, ne fracta dolore et indignatione, tandem abiiciat inuocationem, aut aliquid iniuste faciat, ut dicitur: furor sit laesa saepius patientia. Et paucis interiectis, Imperia, pergit *Melanchton* l. c. politica vult *Deus* honori*



honori esse bonis et terrori malis. Vult Deus tegi eos, quorum mores sunt sine scelere, vult eis concedi pacem ad invocationem, ad educationem et ad institutionem sobolis, vult latrones reprimi, siue domi, siue foris latrocinia exerceant. Et ex his aliisque fortassis causis pluribus praeter *Philippum Melanctonem, Hugo Grotius, Samuel Stryckius, Ioannes Brunnemannus, Hieronymus Brücknerus, Iustus Henningius Boehmerus, Caspar Henr. Hornius, Augustinus a Leyser, Ioannes Daniel Michaelis*, ceteros omnes vt taceam, praeter adulterium et malitiosam desertionem, ex aliis quoque causis, aequae tamen grauis, et inprimis quoque ob insidias vitae structas, vinculum coniugale ab Magistratu recte hodie dissolui, vno ore contendunt omnes. Ex iisdem his fortassis causis et rationibus *Martinus Riedorff* quoque, sententia supra dicta, per prouocationem ab vi rei iudicatae suspensa, in summo prouocationum Iudicio Dresdensi tandem mens. Iunio anni praesentis reformatariam obtinuit sententiam, hunc in modum conceptam: *Dasß die eingewandte Appellation an ihren Formalien beständig und zu gebührender Rechtfertigung an Uns erwachsen, dierer Materialien halber erscheint aus denen Acten so viel, daß in erster Instanz übel gesprochen und wohl appelliret, derowegen Appellants Principals auf gänzliche Scheidung der mit Appellants Principalin geschlossenen Ehe gerichtetes Suchen vor unstatthafft nicht zu achten, sondern es wird die Ehe hiermit dissolviret und aufgehoben.*



hoben, gestallten Wir solche hierdurch dissolviren und aufheben, auch Appellantens Principal, als dem unschuldigen Theile, sich anderweit hinweg wiederum Christlich zu verhelichen gestatten und nachlassen, zu welchem Ende diese Sache an vorigen Richter billig remittiret wird, inmaassen Wir sie hiermit dahin remittiren und weisen.

Ceterum plura hodie hac de re addere, vteriusque progredi, ob temporis penuriam summam, non licet, imo potius, ad id vt me conuertam, quod mei hodie officii est, instituti ratio postulat. Nimirum agetur hoc die proximo Lunae, vt honoribus *Iuris vtriusque Doctoris* ornemus virum, quem in colloquiis experiundae doctrinae eius causa institutis egregie cognouimus instructum earum doctrinarum omnium scientia, quibus, qui Iurisprudentiam perfunctoria opera non didicerunt, vt sint instructi, vtique necessarium est. Est autem ille

Nobilissimus Doctissimusque

IOANNES AVGVSTVS LVDOVICVS
MENCKENIVS,

et, qua via ipse ad hanc dignitatem contenderit, ex narratione ipsius lectores poterunt cognoscere.

Natus sum Vitembergae anno MDCCLIV d. XII Iun. parentibus
IOANNE LEONHARDO LVDOVICO MENCKENIO, *iuris vtriusque*
Doctore



Doctore, Facultatis iuridicae Assessore ordinario, huiusque civitatis Con-
sule, matre vero MARIA CHRISTIANA CHARLOTTA, beati HEY-
DELMANNI, Praefecti Vitembergensis filia. Qui optimi parentes nihil
prius antiquiusque habuerunt, quam ut tener animus mature pietatis o-
ptimarumque artium imbueretur praeceptis. Quod ut eo feliciter procede-
ret, me privatorum praeceptorum crediderunt fidei. Et quamquam pa-
ter mihi in optimo aetatis flore, mediaque superioris belli calamitate nimis
praematura morte ereptus est; non tamen omnis salutis meae spes finit
evanuit, sed mater salutem meam eo maiori sibi duxit religioni, nihilque
praetermisi, quod ad eam stabiliendam facere putaret. Eoque consilio
mihi adultiore factio locum inter alumnos scholae provincialis, quae Grim-
mae floret, impetrandum curavit, ubi per quinque annos fidelissimorum
praeceptorum institutione frui mihi contigit. Lustrum vero scholastico ab-
soluto, redux Vitembergam, Rectore tunc temporis Magnifico, Excel-
lentissimo atque Experientissimo BOEHMERO in album civium academi-
corum sum relatus. Iam vero de studiorum genere deliberans, constitui
mecum, ne castra maiorum, patris, aui et reliquorum desererem, iuris-
prudentiae studio me consecrare. Cum autem paulo facilius ad Themidis
sacra patent accessus, quo magis quis vel aliis disciplinis praeparatus ad ea
accedat: non neglexi per primum vitae meae academicae annum studiis
historicis philosophicisque operam dare, atque in hunc finem Illustris beati
RITTERI praefectionibus historicis, Excellentissimisque HILLERI philo-
sophicis sedulo interfui. Posthaec scholas iuris frequentavi Illustrum
Virorum, beati CHLADENII, KRAVSII, PAVLII, FISCHERI, WIE-
SANDII, REINHARDTII, nec non Virorum Excellentissimorum, KLUI-
GELII, et HOMMELII. Quos omnes aequali mentis observantia,
aequalique pietatis religione nominatos esse volo. Studiis tandem acade-
micis



*micis feliciter peractis, primum legalis meae scientiae specimen, defendenda
nonnullas iuris Romani et Saxonici observationes sub auspiciis Illustris
WIESANDII, edidi, posteaque ea, quae iis, qui tam ad Praxin, quam
ad Doctoris dignitatem aspirant, incumbunt, examina, ex voto subii,
ita, ut nihil adhuc restet, quam ut data mihi ab Illustri ordine iuridico
hanc ipsam Doctoralem dignitatem consequendi copia, dissertationem,
de Iudaeo, iurisiurandi suppletorii haud incapace, publice tunc. Cui
suscepto Deus Optimus Maximus clementissime annuat!*

Hos itaque summos in utroque Iure honores ut rite legi-
timeque consequatur, proximo die Lunae, qui est IX. men-
sis Decembr. in Auditorio maiori Dissertationem Inaugura-
lem de Iudaeo Iurisiurandi suppletorii haud incapace, sine praesi-
de publice defendet. Quem actum solemnem ut RECTOR
ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES ACADEMIAE pariter
ac VRBIS, nec non GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI CIVES
praesentia sua velint ornare, Ordinis mei nomine ea, qua par
est, obseruantia rogo atque contendo. P. P. Domin. II.
Aduent. A. R. S. CIOIOCLXXXII.

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRER

Wittenberg, Diss., 1781-82




f

Sl.

✓ Dn 8





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1789. 9
A. H. 17
284

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

MARTINVS GOTTLIEB PAVLI D.

CODICIS PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIAL.

CONSIST. ECCLESIAST. SCABINAT. ET

FACVLT. IVRID. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*Injidiae vitae prociuae an iussa sint
divortii causa?*